Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2485
Quelle:
Copyright:

ſive *Gyriacum* in *Slavoniae* regione collocat, ob linguam *Vindicam* factum reor, qua Plebs inferioris *Stiriae* utitur. Carthuſiae hujus vernaculae *Geyrach* dictae et jam a. 1591. in ſuſtentationem Alumnorum Cleri ſecularis adtributae *Chartae* extant inter *Diplomataria Sacra Stir.* P. II. *Vien.* 1756. p. 133. 4.

DCL.

203 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. nunc 31. f. rubricis diſtinctus, bonaeque notae ante Indicem Capp. hac gaudet inſcriptione: *In nomine domini doctrina — Monachorum patrum quam operibus peregerunt. aput orientem. quod exemplatum eſt ex codice abbatis theodori ſenioris. et abbatis theodoris iunioris. quem tranſtulit de greco in latino pelagius archidiaconus ſancte eccleſie romane. et johannes ſubdiaconus eiusdem eccleſie ad inſtructionem et cautelam conuertentium in ſancta religione.* Eſt is liber, quem *Photius Cod.* 198. titulo Ανδρων ἁγιων Βιβλος graecum legerat, quique illi Συγκεφαλαιωσις και ςυνοψις τȣ μεγαλȣ Λειμωναριȣ viſus eſt. Autor tamen illum, perinde ut nos, latuit. *Capita* ſive *Libellos* cenſet XXI. quorum primi titulus miniatus: *In nomine domini. Incipiunt adhortationes ſanctorum patrum ad profectum perfectorum monachorum.* Initium: *Interrogauit quidam abbatem Antonium dicens: Quid cuſtodiens placebo deo* &c. C. VII. n. 16. deficit *Codex*, ut patet ex collatione cum *Herib. Roſweydi Vitis Patrum*, *Antverp.* 1628. f. ubi opus noſtrum p. 559. *Librum* V. conſtituit. Interpres noſter *Pelagius*, quem quidam deinceps ſub *Pelagii* I. nomine eccleſiae univerſae praefuiſſe volunt, verſionem circa an. 550. ſuſcepit. *Sigebertus gemblac.* c. 115. *de Scriptt. eccl. ſexdecim* illi *Capita* ſive *Libellos* tribuit; dein vero *quindecim* tantum enumerat. Hunc ſecutus *Fabricius* L. XV. *Johannis* Subdiaconi verſionem a C. XVII. incipere adſeruit. Sed ſi *Roſweydum* audias, cujus ordo cum *Indice* Codicis noſtri plane conſentit, XVIII. *Capitum* interpres eſt *Pelagius*, reliqua ad *Johannem* pertinent. In eo tamen et *Roſweydus* falli videtur, quod *Caput* XVIII. inſcriptum *de Praeuidentia ſeu Contemplatione* in duo dividat partem unam *Pelagio*, alteram *Johanni* adſignans; hac enim ratione univerſum opus *Capitibus* XXIII. conſtaret, quod tam *Photii*, quam noſtro *Indici* repugnat. Ceterum *Johannis* Verſio *Roſweydo* Librum VI. et Verſio *Capitis* XXII. *Paſchaſio* tributa Librum VII. conſtituit. *Caput* vero iſtud in *Indice* noſtro non memoratur. De *Pelagio*, *Johanne* et *Paſchaſio* agit *Roſweydus* cit. *Prolegom.* XIV. qui ſi Codicem noſtrum nactus fuiſſet, non leve variantium lectionum ſpicilegium deprehendiſſet.

DCLI.

Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. nunc 48. 8. non una 796